



Exercitatio philosophica inauguralis deo

<https://hdl.handle.net/1874/345160>

31.

EXERCITATIO PHILOSOPHICA
INAUGURALIS
DE

D E O,

QUAM
Eiusdem fretus Auxilio,
Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

JACOBI VALLAN,

M. D. Praxeos & Institut. Med. Professoris Ordinarii,

NEC NON

Amplissimi Senatus Academicci Consensu, Subtilissimeque
Facultatis Philosophice Decreto,

PRO GRADU IN PHILOSOPHIA DOCTORATUS
AC LIBERALIUM ARTIUM MAGISTERIO

Omnibusque Prærogativis, Honoribus & Privilegiis legitimè
solenniter & More Majorum consequendis,

Publicè tenebitur

JOHANNES WOOLLASTON, Londino-Anglus,

Ad diem XIV. SEPTEMB. horis locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM;

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiæ
Typographi, clo lcc xci.

V I R I S

In CHRISTO Reverendis.

- D. HENRICO HICKMAN,
SS. T.B. Lugduni-Batavorum ,
D. JOHANNI HOWE,
L. A. M. Londini ,
D. MATTHÆOMEAD,
Stepney ,
D. ROBERTO BRAGGE, P.
Londini ,
D. OBADIAE HUGHES,
Enfield ,
D. GUILIELMO HAWORTH,
Hartfordiae ,
D. JOHANNI SHOWER,
Londini ,
Ecclesiarum CHRISTI dictis locis, Pastoribus
Vigilantissimis, Pietate, & Eruditione maximè
conspicuis, & Orthodoxiæ Doctrinæ longè cele-
berrimis;

Fautoribus suis benignis,

*Exercitium hoc Inaugurale, summi
respectus ergo sacrum facit*

Auctor

JOHANNES WOOLLASTON.

Lecturo S.



Ummi Numinis existentiam, & Mentis Huma-
na à Diversis, basin omnis Religionis agnoscimus
omnes: hanc tribus Dissertationibus in illustri hac
Academâ, ante triennium ventilatis, prolixè ad-
struximus; ac tandem Specimen Inaugurale pro
Gradu dату, haud melius visum, quam illam
hunc adjicere; patebit sic amplius dulcissima τε
γνώστις τοῦ Φανεροῦ Symphonia: & quo jure ad αν-
πολογονιαν gentibus sufficere nature lumen do-
cuit gentium Apostolus; & pricipiè methodo hac convictici.

Methodus appellatur Synthetica, in demonstratione Analyticæ in-
vestiganti, longe preferenda.

Principium unicum tantum supposui, ut obturetur Os petitionem principiis
fieri clamantibus, alias plura demonstratione non multum indigere fateor.

Verbis qua aliquam homononiam patiuntur, Definitiones præposui, circa
quas obseruet Lector, esse universas, ut appellant de Nomine; quapropter
si aliquis à me exigat, ut definitiones meas probem; Is nihil aliud mihi
dicet, quam quod conceperam, non conceperim; vel à me exiget, ut
id, quod conceperam, probem me concepisse; quoad conceptuum veri-
tatem autem, benevoli Lectoris candido iudicio submisi relinquo.

Specimen tantum hic & illic de Divinis Attributis dedi; ulterius
prohibuere Academicæ Exercitationis limites.

Quod tamen Novatorum Ideas in hoc tractatu nullibi sum sectatus;
testis est ipse de & coram quo scribo, Deus, non aliam ob causam, quam
quod defruentes non adstruentes ubique reperio; confirmat tristis Expe-
rientialia; confirmant Athei & Θεόμαχοι ex horum scholis, vix alibi terra-
rum, quotidie prodentes. Nec aliter fieri potest, inauditum batenus
Orbi cndunt Numen, inauditum mox omne Numen. Horum causa re-
viviscit Philosophia titulus Hæresium Condimentum, & Philosophis,
Hæreticorum Patriarchæ. „Interim Tu Domine, cum de te etiam ve-
ra dicere periculosest sit, cum Mens Humana te concipere non potest, nec
diffusi sermones, nec bibliothecarum volumina explicare, scribi non potes,
nec concludi; sine tua luce non est veritas, dic mihi, fiat lux & facta sit
lux, sine te adest error, vanitas, confusio & ignorantia, sine te ad altiora
mens non rapitur, ergo tene manu tua, ut te duce ascendat in illam re-
gionem ubertatis, ubi pascis Israël in eternum pabulo veritatis, ut ibi vel
rapida cogitatione te attingat: Volitanti ad te multa sunt que obstrepunt;
justu tuo, Domine, conticeant mihi omnia, ipsa sibi Anima fileat, omnia
pertranseat, ad te perveniat, tibi intendat, & dulcissime contempletur.

EXERCITATIO PHILOSOPHICA

INAUGURALIS

DE

D E O.

DEFINITIONES.

- I. Per Ens intelligo, Quicquid realiter existit, vel nomine cogitante.
- II. Per Substantiam, Ens per se existens, vel sine subiecto.
- III. Per Attributum, Cujus Esse est Substantia inesse.
- IV. Per Distincta, Que habent diversas causas, effectus, attributa &c.
vel quae possunt a se mutuo separari; aut Partes.
- V. Per Perfectionem, Omne Positivum vel Ens.
- VI. Per Infinitum, Quod tantum est, ac absolutè esse potest; nec initium
nec finem habens.
- VII. Per Finitum, Quod non tantum est ac esse potest, initium, & finem
habens.
- VIII. Per Independentiam, Sufficientiam a se & in se, vel quæ non re-
quiriunt aliquid aliud.
- IX. Per Dependentiam, Non-sufficientiam, vel quarequiritur aliquid aliud.
- X. Per Deum, Ens Independens, vel Sufficientis.
- XI. Per Potentiam, Sufficientiam activam.
- XII. Per Mutationem, Qua aliquid rei accedit, vel decedit, vel qua
Res fit quod non fuit.
- XIII. Per Aeternitatem, Continuationem existentia infinitam.
- XIV. Per Necessarium, Quod non potest aliter esse.
- XV. Per Immensitatem, Existentiam ubiunque Corpus est, vel esse potest.
- XVI. Per Admiracionem, Affectum apprehensionem majoris in Ente
perfectionis quam comprehendimus sequentem.
- XVII. Per Amorem, Affectum unionem cum perfectione appetentem.
- XVIII. Per Subsidentiam, Agnitionem superioritatis superioris ab inferiore.
- XIX. Per Spiritum, Substantiam concipientem & appetentem, vel scien-
tem & volentem.
- XX. Per Possibile, Quod Dens potest producere.

XXI. Per

INAUGUR. DE DEO.

5

- XXI. Per Futura, *Qua veram certò habebunt existentiam.*
XXII. Per Scientiam Medium, *Quà res conditionatè noscuntur?*
XXIII. Per Liberum Arbitrium, *Facultatem, positis omnibus ad agendum requisitis, agendi vel non-agendi.*
XXIV. Per Decretum, *Ordinationem ad futuritionem vel non-futuritionem.*
XXV. Per Sanctitatem Dei, *Attributum quo sibi ipsi, & sui similis benevult.*
XXVI. Per Legem, *Declarationem voluntatis cui tenemur obedire.*
XXVII. Per Influxum Dei, *Communicationem sufficientia ejus.*
XXVIII. Per Libertatem, *Facultatem agendi secundum Rationem.*
XXIX. Per Peccatum, *Difformitatem Legi Dei.*

A X I O M A.

Contradictoria non possunt esse simul vera.

S C H O L I U M.

CLarius & simplicius nil potest proponi ; quod affirmatio & negatio non sunt eadem ; quod idem non potest esse & non-esse ; si aliquis dicat se de hoc dubitare , proculdubio non dicet eodem tempore se de hoc non dubitare , si tamen dicat , habemus quod petitur : profecto si non detur aliqua veritas quæ sit vera & prima, in æternum manebimus *miserimi Sceptici*. Hæc contradictoria curavimus sæpius notare per interpositam particulam *Non*, quæ sunt verè contradictoria sc. expressa. Idem hoc est ac dicere, nullo modo in conceptu possumus unire , imo quæ concipimus non posse uniari nec in conceptu nec re ipsâ. Si non possunt simul esse , nec possunt habere *Medium* ; medium esset vel ex utroque vel neutro : si neutro, dicitur unum non esse, sed hoc est alterum : si utroque, dicitur unum esse, tum non potest esse alterum , nisi simul sit & non-sit. Hoc tandem veritatis Criterium , & quod ad hoc non potest deduci , nequaquam pro vero admittendum : Decantata quorundam clara & distincta perceptio ineptissima est.

P O S T U L A T U M.

Postulatur pro Concesso, Dari Entia aliqua realiter existentia.

A 3

PRO.

EXERCITATIO PHILOSOPHICA
PROPOSITIONES.

PROPOSITIO I.

Attributa se habent secundum naturam Substantiae.

DEMONSTRATIO.

Attributa habent suum Esse à Substantiis, (*per Def. II. & III.*)
& quod Substantiae non habent, non potest ex iis haberi, nisi
simul habeant & non-habeant, (*cont. Axiom.*) Q.E.D.

PROPOSITIO II.

Omnia sunt vel Infinita, vel Finita.

DEMONSTRATIO.

Infinitum & Finitum sunt contradictoria (*per Def. VI. VII.*
& *Axiom. Schol.*) proinde non admittunt medium (*ibid.*)
Q.E.D.

PROPOSITIO III.

Infinitum non habet partes.

DEMONSTRATIO.

VEL Infinitas, vel Finitas (*per Prop. II.*) non finitas, quia parti
finitæ potest addi (*per Def. VII.*) & si alicui parti addatur, totum
effet majus ex istâ additione, nisi quod addatur sit nihil, h. e. ali-
quid non-aliquid; ac si majus, effet Infinitum Infinito majus (*cont.*
Def. VI.) Non infinitas, quia pars effet æqualis toti, h. e. effet
pars & non effet pars. (*cont. Axiom.*) Q.E.D.

PROPOSITIO IV.

Entium series est semper finita.

DEMONSTRATIO.

Entia jam existunt (*per Post.*) sunt distincta (*per Def. IV.*) ergo
non infinita (*per Prop. III.*) proinde finita (*per Prop. II.*)
Q.E.D.

ALI-

ALITER.

Ribus, quæ jam existunt, est initium, uti patet, cum enumerare incipimus; & quod habet initium, non est infinitum (*per Def. vi.*) & quod non infinitum, est finitum (*per Prop. ii.*)

Q. E. D.

PROPOSITIO V.

Datur Deus.

DEMONSTRATIO.

Entia ab Entibus in infinitum non possunt dependere (*per Prop. iv.*) ergo datur quod non dependet, & hoc est Deus, (*per Def. x.*) Q. E. D.

PROPOSITIO VI.

Deus est infinitè perfectus.

DEMONSTRATIO.

Si capax sit ulterioris perfectionis, capax est perfectionis, quam non habet à se, quia quod aliundè venit, non est à se, alias aliundè, & non aliundè; & quod est aliundè est dependens (*per Def. ix.*) & tum haec perfectio dependens non se habeat secundum naturam subiecti independentis (*cont. Prop. i.*) ergo pluris non est capax; & quod pluris non est capax, tantum est ac esse potest, h. e. infinitum (*per Def. vi.*) Q. E. D.

COROLLARIUM I.

Deus est sibi ipse & aliis omnibus omnia in omnibus.

Si Deus in se & à se contineat omnes omnino perfectiones sunt sibi ipsi; & cum omnia omnino contineat, nihil aliunde habetur, nisi sit plus quam omne omnino, (*cont. Def. vi.*) ergo cæteris,

COROLLARIUM II.

Deus est omni Amore & Subsidentia dignus.

Perfectio enim est amore digna (*per Def. xvii.*) & si aliqua perfectio aliquo amore, omnis perfectio omni amore, nisi perfectio

EXERCITATIO PHILOSOPHICA

fæctio sit simul digna & non digna. Item, Infinitum finitum superat vel majus est (*per Def. vi. & vii.*) & superioritas digna subsistentiâ, (*per Def. xviii.*) ergo.

COROLLARIUM. III.

Omnia in omnibus à Deo dependent.

OMNIA à Deo habetur (*per Coroll. i.*) proinde omne ab eo dependet (*per Def. ix.*)

COROLLARIUM IV.

Deus est Omnipotens.

POtentia est Dei perfectio (*per Def. v. & xi.*) ergo infinita (*per Prop. i.*) Patet ulterius (*per Coroll. i.*)

PROPOSITIO VII.

Nec dantur nec dari possunt plures Dii.

DEMONSTRATIO.

OMNIA in omnibus ab Ente infinitè perfecto dependent (*per Prop. vi. Cor. iii.*) ergo nihil eorum Deus (*per Def. x.*) Quæcumque etiam esse possunt, eodem modo se haberent (*per Prop. vi. Cor. iii.*) Q. E. D.

ALITER.

DEUS unus continet omnes omnino perfectiones (*per Prop. vi.*) ergo alteri nihil relinquitur, nisi sit plus quam infinitum (*cont. Def. vi.*) Q. E. D.

SCHOLIUM.

EX Deo infinitè perfecto, colligimus non dari plures Deos. Verum perversè hinc trahunt nonnulli non dari plura Entia, sed omne Ens vel Existens esse Deum vel Dei Attributum. Per parenthesin, filium demonstrationis non interrumpentem, lubet hunc Atheismum & Atheismi fundamentum verbo tantum notare. Probavimus Deum continere omne quod absolute positivum est, vel independens, vel sufficiens; proinde omne tale esse Deum, vel Dei, rectè concluditur; cum autem in Mundo nihil tale reperiatur,

tur, ineptissimè hic ad Deum refertur. Neque tamen quid merè negativum est, sic enim merum nihil esset; sed aliquid quod neque absolutè positivum, nec merè negativum sit, quale medium est, *Dependens*, vel *Sufficiens*; absolute enim positivum & merè negativum nequaquam sunt contradictroriè opposita. Si aliquid absolutè positivi habeat talis Existentia, rectè illud ad Deum reducitur; qualis profectò est ipsa Existentia in quantum creata & conservata, quæ est nihil aliud quam sufficientia Dei communica-ta, vel, ut ita dicam, exerta. Interim hoc mirandum non riman-dum nimis, lubens fateor. Hæc in transitu.

PROPOSITIO VIII.

Deus nullas habet partes.

DEMONSTRATIO.

CUjus natura requirit partes, non potest existere absque parti-bus (*per Axiom.*) ergo à partibus dependet (*per Def. ix.*) proinde Deus non habet (*per Prop. i. & v.*) Q.E.D.

ALITER.

DEus est infinitus (*per Prop. vi.*) proinde non habet partes (*per Prop. iii.*) Q.E.D.

COROLLARIUM.

Mundus non est Deus, nec pars Dei.

MUNDUS habet partes vel distincta (*per Def. iv.*) ergo non Deus (*per hanc Prop.*) & si Deus non habeat partes, non potest esse pars Dei.

PROPOSITIO IX.

Deus est Immutabilis.

DEMONSTRATIO.

DEus est Infinitus (*per Prop. vi.*) ergo nihil ei potest addi (*per Def. vi.*) nec detrahi, cum tum non esset Infinitus, (*per eand. Def.*) h. e. Immutabilis (*per Def. xii.*) Q.E.D.

v EXERCITATIO PHILOSOPHICA

PROPOSITIO X.

Deus est Æternus.

DEMONSTRATIO.

DEI Existentia tanta est ac esse potest vel infinita (*per Prop. I. & VI.*) proinde non habet partes (*per Prop. III.*) h. e. Æterna. (*per Def. XIII.*) Q.E.D.

PROPOSITIO XI.

Deus necessariò existit.

DEMONSTRATIO.

SI Deus posset non existere , perfectiones ejus possunt esse non tantæ ac esse possunt , nisi simul essent & non essent ; sed Perfectiones non possunt non esse tantæ ac esse possunt (*per Prop. VI.*) si itaque Deus non potest non esse , necessariò existit. (*per Def. XIV.*) Q.E.D.

PROPOSITIO XII.

Deus est Immensus.

DEMONSTRATIO.

AGere supponit Esse , nisi aliquid sit actuosum & non aliquid , vel aliquid non-aliquid ; & si actio sit alicubi & agens non sit , ibi esset actio absque agente , nisi agens simul sit & non sit ; sed omnia Dei tanta sunt ac esse possunt (*per Def. VI. Prop. I. & VI.*) & si sit ubicunque est ubi , est Immensus (*per Def. XV.*) Q.E.D.

COROLLARIUM.

Deus est Omnipræsens.

SI enim sit in tanto Ubi ac esse potest , est in omni omnino Ubi.

PROPOSITIO XIII.

Omnia Dei concipere est Deo proprium.

DEMONSTRATIO.

DEUS est Infinitus (*per Prop. VI.*) Cogitatio Deum plenè repræsentans est infinita ; si enim infinitum plenè repræsentet , debet esse

INAUGUR. DE DEO.

ii

esse per totum Infinitum præsens (*per Prop. XII.*) & si tantum extendatur, ac infinitum, est infinita, nisi quanta esse potest tanta sit & non sit; si Infinita soli Deo propria (*per Prop. I. & VI.*) Q.E.D.

COROLLARIUM I.

Deus non potest ullâ Effigie repræsentari.

Alias repræsentari possit & non possit. Patet etiam (*per Prop. 8.*)

COROLLARIUM II.

Deus est Ineffabilis.

Verba enim, uti notum, concepta denotant, si excedant concepta, denotent & non denotent.

COROLLARIUM III.

Deus est Admirabilis.

Si enim novimus esse plus in Deo perfectionis quam comprehendimus, necessario admiramur (*per Def. XVI.*)

PROPOSITIO XIV.

Deus est Spiritus.

DEMONSTRATIO.

Deus habet omnes omnino Perfectiones (*per Prop. VI.*) ergo & Actiones omnes (*per Def. V.*) inter quas conscientia & complacentia, quæ Spiritum constituunt (*per Def. XIX.*) Q.E.D.

PROPOSITIO XV.

Deus est Omniscius.

DEMONSTRATIO.

Patet (*per Prop. VI. & XIV.*) Q.E.D.

ALITER.

Patet (*per Coroll. Prop. XII.*) Q.E.D.

COROLLARIUM.

Hinc Deus novit seipsum, & cætera quævis.

EXERCITATIO PHILOSOPHICA

PROPOSITIO XVI.

Dei Scientia est Independens & Perfectissima.

DEMONSTRATIO.

Patet (*per Prop. I. V. & VI.*) Q. E. D.

COROLLARIUM I.

*Dei Scientia est Æterna.***Q**uia quod est independens est infinitum (*per Prop. VI.*) & quod est infinitum, est æternum (*per Prop. X.*)

COROLLARIUM II.

*Dei Scientia est Immutabilis.***Q**uod est infinitum est immutabile (*per Prop. IX.*)

COROLLARIUM III.

*Dei Scientia nullas habet partes.***Q**uod est infinitum nullas habet partes (*per Prop. III. & VIII.*)

PROPOSITIO XVII.

Deus novit omnia Possibilia.

DEMONSTRATIO.

Deus novit propriam potentiam (*per Prop. XV. Coroll. & Prop. VIII.*) h. e. Possibilia omnia (*per Def. XX.*) Q. E. D.

PROPOSITIO XVIII.

Deus novit omnia Futura.

DEMONSTRATIO.

Omnia Futura erunt; talia per sufficieniam Dei communicatam (*per Prop. VI. Coroll. III. & Def. XXI.*) ergo Dei nota (*per Prop. XV. Coroll. & Prop. VIII.*) Q. E. D.

ALITER.

Deus novit res per omnia prædicata (*per Prop. XV.*) inter quas & futuritio.

PRO-

I N A U G U R . D E D E O .
P R O P O S I T I O X I X .

In Deo Scientia Media non datur.

D E M O N S T R A T I O .

S Cientia Media est conditionata vel requirit conditiones, (*per Def. xxii.*) h. e. dependens (*per Def. ix.*) ergo Deo non pertinet (*per Prop. i. & xvi.*) Q.E.D.

P R O P O S I T I O X X .

Deus omnia vult.

D E M O N S T R A T I O .

P Atet (*per Prop. i. vi. & xiv.*) Q.E.D.

C O R O L L A R I U M .

H Inc Deus vult seipsum , & cætera quævis , (*per Def. x. & i.*)

P R O P O S I T I O X X I .

Dei Voluntas est Independens & Perfectissima.

D E M O N S T R A T I O .

P Atet (*per Prop. i. v. vi. & xvi.*) Q.E.D.

C O R O L L A R I U M .

Dei Voluntas est Æterna , Immutabilis & absque partibus.

P Atet (*per Prop. viii. ix. & x.*) Etiam (*per Prop. xvi. Coroll. i. ii. & iii.*)

P R O P O S I T I O X X I I .

Deus non habet Liberum Arbitrium quoad omnia absolutè.

D E M O N S T R A T I O .

D Ei voluntas est immutabilis (*per Prop. xxii. Coroll.*) h.e. non potest velle quod non voluit (*per Def. xii.*) & de quo dicitur non potest velle, de illo non potest dici , potest absolute velle vel non velle , nisi simul potest & non potest (*cont. Axiom.*) proinde non habet liberum Arbitrium (*per Def. xxiii.*) Q.E.D.

A L I T E R.

DEi perfectiones existunt necessariò (per Prop. xi.) ergo & voluntas (per Prop. xiv.) & quod non potest non-velle, non potest velle & non-velle. Q.E.D.

P R O P O S I T I O XXIII.

*Dei Voluntas circa Res à se distinctas habet
Liberum Arbitrium.*

D E M O N S T R A T I O.

SI detur Positivum quod Deus non potest velle, esset perfectio quam Deus non haberet (per Def. v.) & (cont. Prop. vi.) Q.E.D.

P R O P O S I T I O XXIV.

Deus vult omnia Possibilia.

D E M O N S T R A T I O.

PAtet (per Prop. viii. xvii. & xx.) Q.E.D.

P R O P O S I T I O XXV.

*Dei decretum ad rerum omnium futuritionem
necessariò requiritur.*

D E M O N S T R A T I O.

OMnia in omnibus à Deo dependent (per Prop. vi. Coroll. iii.) ergo & quoad futuritionem : sed omnia in Deo circa externa sunt indifferenter libera (per Prop. xxiii.) non magis ad futuritionem quam non-futuritionem determinata (per Def. xxiii.) si habeant ergo determinationem ad existentiam absque Dei Decreto, habent aliundè (cont. Prop. vi. Coroll. iii.) Q.E.D.

A L I T E R.

DEi Scientia est immutabilis (per Prop. xvi. Coroll. ii.) h.e. non potest esse alia quam est (per Def. xii.) & cum sit vera (per Prop. xv.) res debent se habere secundum eam, ergo non possunt esse vel non-esse, nam utrumque non potest esse verum (per Axiom.) & Deus tantum unum novit ; sed omnia Dei circa externa sunt libera

I AUGUR. DE DEO.

libera ad unum vel alterum , absque decreto (*per Prop. XXIII.*) ergo datur (*per Prop. VI. Coroll. III.*) Q.E.D.

A L I T E R.

D Ecretum est perfectio (*per Def. V. & XXIV.*) ergo Deo pertinet (*per Prop. VI.*) Q.E.D.

P R O P O S I T I O XXVI.

*Dei Decreta sunt Æterna, Independentia,
Immutabilia & absque partibus.*

D E M O N S T R A T I O.

P Atet (*per Prop. XXI. Coroll. & Prop. XXV.*) Q.E.D.

P R O P O S I T I O XXVII.

Res semper erunt secundum Dei Decreta.

D E M O N S T R A T I O.

D Eus decretivit de omnibus (*per Prop. XXV.*) Si autem aliquid sit, quod non sit secundum Decretum; non esset id quod decernitur , & si non esset id quod decernitur , esset id quod non decernitur , nisi simul decernitur & non-decernitur (*cont. Prop. XXV.*) Q.E.D.

A L I T E R.

R Es omnes per Decretum determinantur (*per Prop. XXV.*) si autem non sequantur , nulla determinatio , nisi determinatio à quâ Res independentes , & tum non esset illarum rerum (*per Def. IX.*) Q.E.D.

P R O P O S I T I O XXVIII.

*Non datur in aliquo nisi Deo , Arbitrium
absolute liberum.*

R Es non possunt non-agere secundum Dei Decreta (*per Prop. XXVII*) & de quibus dicitur , non possunt non-agere , de iis non potest dici , possunt agere vel non-agere nisi simul possunt non-agere , & non-possunt non-agere. (*cont. Axiom.*) Q.E.D.

PRO-

EXERCITATIO PHILOSOPHICA
P R O P O S I T I O XXIX.

Deus est Sanctissimus.

D E M O N S T R A T I O.

Divina voluntas est conformis divinæ naturæ (*per Prop. viii.*) & (*Prop. xx. Coroll.*) & si vult scipsum, quicquid sui in altero quo-vis est, vult, nisi simul se ipsum vult & non-vult: & haec constituunt Divinam Sanctitatem (*per Def. xxv.*) Q.E.D.

P R O P O S I T I O XXX.

Datur Lex Dei, cui subsunt quæ norunt Dei voluntatem.

D E M O N S T R A T I O.

SI non subsunt, sunt ab eâ Independentia (*per Def. viii.*) & (*cont. Prop. vi. Coroll. iii.*) si subsunt est Lex (*per Def. xxvi.*)

C O R O L L A R I U M.

*Quæ activè ab hâc Lege se subducunt,
debent passivè reduci.*

Q Uæ enim se subducunt & non reducuntur, non subsunt, nisi simul subsunt & non-subsunt.

P R O P O S I T I O XXXI.

*Deus non potest aliquid declarare, quod non exactè
conveniat cum rebus declaratis.*

D E M O N S T R A T I O.

D Ei Scientia est secundum res ipsas (*per Prop. xv.*) si declaratio non sit, non esset eadem cum scientia (*cont. Prop. viii.*) nisi scientia simul rebus conveniat & non-conveniat. Q.E.D.

P R O P O S I T I O XXXII.

*Quicquid præter Deum existit, à Deo
accepit existentiam.*

D E M O N S T R A T I O.

O Mnia in omnibus à Deo dependent (*per Prop. vi. Coroll. iii.*) Quod autem à Deo non accepit existentiam à Deo independens

INAUGUR. DE DEO.

17

dens (*per Def. viii.*) sed nihil tale (*per Prop. vi. Coroll. iii.*)
Q. E. D.

COROLLARIUM I.

Nihil nisi Deus, potest Non-Enti dare Existentiam.

SI enim quod à Deo non accepit existentiam non detur, & nihil
quod à Deo non omnia habeat (*per Prop. vi. Coroll. iii.*) dari
potest; nec potest existentia ab aliquo, nisi Deo procedere.

COROLLARIUM II.

Nihil præter Deum, est Æternum, nec esse potest.

Quod enim accepit existentiam, non habuit antequam data
erat nisi, existebat & non existebat, & quod semel non habuit
existentiam, ejus existentia non tanta est ac esse potest; proinde
nec æterna (*per Def. xiii.*)

ALITER.

Æternum est infinitum (*per Def. xiii.*) & (*Prop. x.*) & omne
præter Deum, finitum (*per Prop. vii.*) proinde non possunt
coincidere (*per Axiom. & Prop. i. & ii.*)

PROPOSITIO XXXIII.

Deus non potest producere Contradictoria.

DEMONSTRATIO.

Deus novit omnia sua opera (*per Prop. xv.*) sed non novit con-
tradictoria (*per Axiom. Schol.*) ergo nequit producere.
Q. E. D.

PROPOSITIO XXXIV.

*Quicquid præter Deum, in existendo continuat, à Deo
hanc habet continuationem.*

DEMONSTRATIO.

Continuata Existentia non est eadem quæ data (*per Def. iv.*)
sed est existentia, ergo à Deo (*per Prop. xxx.*) Q.E.D.

C

PRO.

PROPOSITIO XXXV.

Quæcunque agunt, cum Dei influxu agunt.

DEMONSTRATIO.

A^ctiones à Deo dependent (*per Def. I. &c Prop. vi. Coroll. III.*)
sed absque Dei influxu independentes (*per Def. VIII. & XXVII.*)
Q. E. D.

PROPOSITIO XXXVI.

Deus influit in applicationem Rerum ad agendum.

DEMONSTRATIO.

Omnia in omnibus requirunt Dei influxum (*per Def. XXVII. & Prop. VI. Coroll. III.*) ergo & in hâc. Q. E. D.

PROPOSITIO XXXVII.

Deus hoc influxu non tollit Rerum Libertatem.

DEMONSTRATIO.

Dei influxus nihil tollit (*per Def. XXVII.*) nisi simul communicet & non-communicet, imo & tollat & ponat simul. Q.E.D.

ALITER.

Libertas non potest tolli (*per Def. XXVIII. & Prop. I.*)

PROPOSITIO XXXVIII.

Deus hoc influxu non influit in Peccatum.

DEMONSTRATIO.

Deus influit in positiva tantum (*per Prop. XXXV. & XXXVI.*)
sed Peccatum est quid privativum, (*per Def. XXIX.*) ergo in illud non influit. Q. E. D.

PROPOSITIO XXXIX.

Deus hoc influxu nullam tollit à rebus potentiam.

DEMONSTRATIO.

Patet (*per Prop. XXXVII.*) Q. E. D.

PRO-

I N A U G U R . D E D E O .

19

P R O P O S I T I O X L .

Quamdiu Res agunt, tamdiu durat hic Dei influxus.

D E M O N S T R A T I O .

PAtet (*per Prop. xxxiv. xxxv. & xxxvi.*) Q.E.D.

P R O P O S I T I O X L I .

Deus dirigit omnes rerum actiones secundum voluntatis suæ Placitum.

D E M O N S T R A T I O .

R E s erunt secundum voluntatem Dei (*per Prop. xxvii.*) sed hoc ipsæ non præstant (*per Prop. vi. Coroll. iii. & Prop. xxxv. & xxxvi.*) ergo Deus. Q.E.D.

P R O P O S I T I O X L I I .

Res semper erunt secundum hanc directionem.

D E M O N S T R A T I O .

D E us dirigit secundum decreta (*per Prop. xxv.*) & res erunt secundum Decreta (*per Prop. xxvii.*) ergo & secundum directionem, nisi simul sint & non-sint. Q. E. D.

P R O P O S I T I O X L I I I .

Deus ipse est ipse Rerum omnium ultimus finis.

D E M O N S T R A T I O .

S I omnia non vellet propter seipsum, voluntas non tanta esset, ac esse posset; nisi creaturæ sint infinitæ (*per Def. vi.*) & (*cont. Prop. xxI. & xxII.*) Q.E.D.

E P I L O G U S .

J Amque opus exegimus, cuius Divino freti Auxilio à Deo initium fecimus, & ad Deum tandem omnia deduximus: cum Sancto illo Dei Viro B. Augustino, Deo gratias, quod auxilium dignatus est, acturi, brevi sed jucundo intuitu, admirandas Dei nostri Perfectiones iterum lustremus, „ Imo confitemur te, Domine, „ in substantiâ unum, verum Deum, unius simplicis incorporeæ,

„ invisibilis & incircumscrip^te naturæ, nihil te superius, majusve
 „ habentem; sed per omnem modum sine deformitate perfectum,
 „ sine quantitate magnum, sine qualitate bonum, sine tempore
 „ sempiternum, sine morte vitam, sine infirmitate fortem, sine
 „ mendacio verum, sine situ ubique præsentem, sine extensione
 „ omnia impletum, sine contradictione ubique occurrentem, sine
 „ motu omnia transcendentem, sine statu intra omnia manentem,
 „ sine indigentia omnia creantem, sine labore omnia regentem,
 „ sine tui initio omnibus initia dantem, sine tui mutatione omnia
 „ mutabilia facientem; in magnitudine infinitum, in virtute omni-
 „ potentem, in bonitate summum, in sapientia inæstimabilem,
 „ in consiliis terribilem, in judiciis justum, in cogitationibus secre-
 „ tissimum, in verbis veracem, in operibus sanctum, in miseri-
 „ cordiis copiosum; erga delinquentes patientissimum, erga pœni-
 „ tentes piissimum, semper id ipsum æternum; cui nec oblivio tol-
 „ lit quicquam nec memoria reddit, nec præterita transeunt, nec
 „ futura succedunt; sed qui ante sæcula, & in sæculis, & per sæ-
 „ cula in æternum vivis; sit tibi perennis Laus & Gloria, summa
 „ Potestas & singularis Honor, perpetuum Regnum & sine fine
 „ Imperium, per infinita & indefessa & immortalia Sæcula Sæcu-
 „ lorum.

F I N I S.



A N.



A N N E X A.

- I. *S*tante Cartesii Princ. part. I. §. LI. stat Spinoismus.
- II. *S*Argumentum ejusdem pro existentia Dei ex Ideâ, Atheis plus favet quam obest.
- III. Ideæ ejus Innatæ indiscunt Euthusiasmum Philosophicum.
- IV. Existentia Spiritus ab eo ineptissimè investigatur.
- V. *M*otus in Antliâ & tubo retorto vix videtur fieri ob fugam Vaucui, cum nulla sufficiens ratio, cur altius, quam ad pedes XXXI. & semis, aqua non ascendet.
- VI. *D*ari Atomos, exercitii causâ, hoc modo statuemus; in materia divisione, ad portiones tam exiguae perveniri, quæ ne per omnipotentiam divinam possunt ulterius dividî, ob multiplicem exinde sequentem contradictionem. Si urgeatur, habent partes vel non? Resp. tantum in conceptu separabiles, proinde non partes materiæ, sed dividentis conceptus esse in infinitum divisibiles.
- VII. *F*igura habens duo latera, alterius duobus lateribus 10000 vicibus majora, potest esse eidem æqualis.
- VIII. *V*isio sit per receptionem.
- IX. *R*ationem Myopiæ & Presbytiæ explicare.
- X. *O*mnia instrumenta Mechanica possunt reduci ad Vectem.
- XI. *H*ora prima, secunda, tertia, imo omnes hora & tempora sunt simul.
- XII. *N*ulla datur actio humana indifferens.
- XIII. *N*ec involuntaria aut mixta.
- XIV. *A*n Jus Dominationis sit permittendum?
- XV. *M*onarchia est optima Regiminis forma.
- XVI. *N*on datur Dominatus in terris absolutus.
- XVII. *T*yrannus justissimè Imperio exultur; & merito SENATUS POPULUS QUE ANGLICANUS de JACOBO II. sic instituerunt.
- XVIII. Romano-Catholicus, quâ talis, non potest esse bonus Cives.
- XIX. *Q*ui negat dari SPECTRA, est ipse horribile SPECTRUM.

H O-

HONOR DEBITUS
Doctissimo Ornatissimoque VIRO-JUVENI,
D. JOHANNI WOOLLASTON,
*Summa cum laude pro DOCTORATUS GRADU
in PHILOSOPHIA disputanti
MOREQUE MAJORUM promovendo,
D E L A T U S.*



Uid mihi , qui nunquam versatus Numine Phabi
Raucisona extorques, ingrataque carmina cunctis?
Est (fateor) virtus, quæ me movet, inclyta vestra,
Estque satis nullis decoranda scientia lauris,
Hos tibi quæ meritos persolvere mandat honores.
Cunctis ingenuas animum excoluisse per artes,
Teque sinu casto doctam docuisse Minervam,
Monstrasti crebrè. Quoties indicia vestræ
Publica præbueris doctrinæ? novimus omnes.
Quam dextrè & solidè multos constrinxeris hostes?
Ac quoties uno veluti deleveris iictu
Omnes , quotquot erant recti verique inimici ?
Quam nitidè nuper nostram , inter cætera , mentem
Pinxeris, atque statum post mortem scripseris ejus ?
Haud mirata semel , stupuitque corona studentum ,
Quotquot in hac celebri tunc contigit esse Palestra.
Longius ast verò studiis promotus , Amice ,
Cæli nec terræ spatio concluderis ullo :
Nam tua mens , rebus quæ non contenta creatis ,
Altius ascendit : rerumque hominumque Satorem
Perlustrare parat. Tu , quæ de Numinе summo
Nos natura docet, nec non quæ credere fas est ,
Invictè monstras , stolidos quoque non secus omneis ,
Funditus exturpans errores ; falsaque cuncta.
Laus jam multa quidem , & magni debentur honores ,
Quos tibi pro meritis referet facundus APOLLO:
Nam nunc DOCTORUM meritus tu PRÆMIA FRONTUM
Jure DIIS SUPERIS MISCIERI dignus haberis.

Renitente APOLLINE.

cecinit

JACOBUS de VRIES, Philos. Cand.

Ad Ingeniosissimum & Eruditissimum VIRUM-JUVENEM

D. JOHANNEM WOOLLASTON

*In Egregiam suam de D&O Disputationem Inauguralem,
Habendam ULTRAJECTI, Ipsi die ejus Natali,
SEPTEMB. XIV. MDCXCI.*

ET

*Congratulatio de Summis in PHILOSOPHIA Insignibus,
In eum a Clarissimo PHILOSOPHIÆ Professore,*

D. M. GERARDO de VRIES

Solenniter & More MAJORUM paulo post conferendis.



Patum venit ecce jubar ! frons digna capessit
WOOLLASTON meritis præmia justa suis !
Præmia, degentem terris, quæ Numine plena
Dis miscent superis ! NUMINE plenus adest !
Clausa triumphali post tot (*) certamina curru,
Tergit sudantes Laurea læta comas !

Æternas Lauros, nomenque perenne parârunt
Chara Deûm soboles, splendida facta tui.

ANNISTER SEPTEM cedat pudefacta senectus ;
Barbati barbas, te veniente, tegant.

SEPTEMBRIS, sacra es, POST SEPTEM SEPTIMA, vixit
Luce tuâ primus; te renovante, novus.

Plaudite lauriferae foelix O turba cohortis,

Plaudite quod numero Gloria tanta venit.

Adsis, Magne Deus, benedice, diuque beatus

Intersit nobis, saraque fata trahant.

(*) Septies in
hac Acad. pu-
blicè Disput.

Sic posuit

IN VITA MINERVA.

SYMB.

Nos Patria fines & dulcia linquimus arva.

Aen den HEER,
JOHANNES WOOLLASTON

Toen zijn Ed. na gehouden Reden-kaveling van GOD,
den 14. SEPT. 1691. met algemeyne toe-stemming bequaam geoordeeld wierd
om tot DOCTOR PHILOSOPHIAE te worden ingewijd.

QUO NON PRÆSTANTIOR ALTER. VIRG.



(a) Disput. de
Animâ Sepa-
ratâ. habite
1. Junii, 28.
Nov. 12.
Dec. 1688.
(b) de Felici-
tate Hom.
9. Martii
1687.
(c) Introd.
Histor. ad
Cartesii Phi-
losophiam
6. Nov. 1686.

Et voordeel te besteden zijnen tijd ;
De ledigheyd te haten , als afgrislyk ;
Is by een yder roemens-waard , en prijslyk .
Dus volgd men 't spoor der oude na , met vlijt :
(Wie anders doet is by een mensch verfoeylyk)
Des hebt gy WOOLLASTON het zoo gemaakt ,
Dat gy ten top van kennis zijt geraakt
Langs trappen , om te klimmen steyl , en moeylyk .

Getuigen zijn 't gezegend Engelant ,
Dees School , vermaard van daar de Sonne-stralen
Eerst rijsen , tot de plaats alwaar ze dalen .
Hier hebt gy van uw geest , en rijp verstand
Verscheydemaal ons blyk in Schrift gegeven ,

Nu (a) hoe 't de Ziel uyt 't lÿf gescheyden gaat ;
Dan (b) van der menschen wenschelyke staat ;
En noch eens (c) van de Heer DESCARTES leven .
En elke reys gaf u te prijsen stof ,
Genoegen aan de Heeren Professoren ,
Toejuychinge van die u quamen horen ,

Want yder sprak'er van mit groote lof .
Nu is 't van GOD , van godlyke eygenschappen ,
So net , so bondig , en so wel doorwrogt ,
Met woorden , naat de konst zo uytgeslogt ,
Dat niemand is bequaam u na te stappen .

O schrand're Philosooph , doorlezen helt !
Gy hebt in kennis boven vele voordeel ,
En gy verdien , naar uwer Meest'ren oordeel ,
Dat u de Lauwer zy op 't hoofd gestelt .
Hebt gy nu treffelijk van GOD gesproken ,

So wensche ik billijk , dat die zelve GOD
Uyt gonst den Hemel schenke tot uw lot ,
So ras uwe ogen zullen zijn geloken .

Al wat gy van de Ziel schreeft , en de stand ,
Der menschen , na het eynde van haar jaren ,
Moet in volmaakte graat u wedervaren
Gekomen in der Eng'len Heylig-land .

D. HAVART, MED. CAND.